Littera protectionalis et exempcionis

Arenga

Nobilis N. de N. nostro et imperii Sacri fidelis
dilecte. Gratiam nostram et liberalitas illos generat et favo-
rabiles reges efficimus quorum fides atque devotio
erga nos et imperium Sacrum studiosis serviciis
claruerunt. Cum igitur antecessores tui erga

Debere aspicere servicia aliorum imperio facta mereri

dictum imperium multos eciam temporibus antiquorum
Sacrum fidelitatem in effectibus subsequentibus monstraverint.
Tu quoque illorum vestigiis inherendo. adeo quidem
nobis et imperio predicto devota et grata obsequia servando
invigilare non cessas. Nos propterea per mortem
[illegible] quondam ducis Mediolanensis noviter
vita functi multas in Lombardia difficultates
impresenciarum exortas. Volentesque omni studio possibili providere.
ut nostri et imperii Sacri fideles ab omnibus
adversitatibus tueantur. et in protectione Sacri
imperii persistere valeant. Oculos gratie nostre
super nobilitate tua gerimus. Ac virtutes quibus te
exornatum fidedignorum relatione percepimus. merito
diligimus. Suscipientes te maturo consilio cum
liberis subditis rebus bonis omnibus ac feudis
legitimis que inpresenciarum possides in nostram et
imperii Sacri protectionem. Eximentesque te cum
bonis et rebus tuis ut predictum est. ab omni potestate
et iurisdictione quorumcunque subditorum nostrorum in
Lombardia et alias pro tempore quacunque auctoritate
prefulgeant. Ita ut super causis tibi tuisque obiciendis.
non alibi nisi coram maiestate nostra ~~nostrisque~~ vel
auditoribus deputandis respondere tenearis. Inhibentes

Inhibicio subiectis

universis nostris et imperii Sacri subditis ne
te tuosque in premissis contra nostram exempcionem impediant
seu molestare presumant. sub indignacionis nostre
gravissime offensa. et pena centum marcarum
auri puri exigenda. et medietatem fisco
nostro. reliqua vero parti pro usibus tuis applicandarum